

sanguine solo, sed vel prorsus vel plurimum ex semine est conflata, hinc etiam pro varia cuiusque visceris conditione multiformi varietate distinguitur. Etenim alia est caro cordis, quæ compacta & magis solida, proximeque ad musculi carnem, accedit: alia est epatis, quod concreti atque torridi sanguinis speciem habere putatur. Alia demum est pulmonis & lienis, quæ rara & spongiosa; pulmonis enim mollior, cum ex sanguine minus crasso confecta est; lienis autem minus mollis, eò quod ex feculento sanguine & crasso formatur & nutritur.

### THEOREMA XIII.

Carni coniuncta est pinguedo quæ inter panniculum a & cutem veram sita est.

a. Gal. lib. 16.  
de usu & in  
fine de temp.

b. Galen. 2. de  
temp.  
c. Et libr. 1.  
de temp. c.  
ult.  
d. Avic. lib.  
1. Fen. 1. do  
ctri. 3. c. 3.  
e. Arist. 2. de  
partib. anim.  
c. 5. & 3. Ibid.  
c. 9  
f. Arist. 4.  
Meteorol.

g. Valles. in  
controvers.  
lib. 1. c. 10.  
Laur lib. 6.  
quæstione. 5.

Cum pinguedo maximam habeat affinitatem cum carne, pauca hic de illa differere congruum esse autumamus. Vocatur autem in medicorum libris modo  $\pi\mu\epsilon\lambda\eta$ ,  $\lambda\acute{\iota}\pi\omega$  & modo, modo  $\sigma\acute{\epsilon}\alpha\varsigma$ : Latinis pinguedo, adeps, axungia & sebum, quamvis quoddam adhuc ea intercedit discrimen, ut in sequente theoremate videri poterit. De efficiente huius in utramque partem velificatur  $\sigma\omega\phi\omega\iota$ : quidam enim cum Galeno pinguedinem à frigore esse statuunt, qui dicit, b pinguedo generatur cum id quod pingue, tenue & leve est in sanguine, incidens in partes frigidas concrevit: & c liquatur pinguedo calefacta, ut alia concreta, quia concrevit multo frigore & c. His consentit Avicenna, d qui etiam frigidis membris pinguedinē annumerat. Quidam vero cum Aristotele calorem efficientem pinguedinis causam esse proclamant, dicentes in nullo vivente reperiri frigidum actuale; pinguedinem igitur illorum à calore fieri: falsum quoque esse illud Galeni & Avicenne, qui pinguedinem frigidis membris competere scribunt, cum tamen cor membrum calidissimum pinguedine abundet, cerebrum vero frigidum omni careat. Verum ut aliquid certi de hac questione statuamus priorem istam Galeni tanquam veriore defendere conabimur. Præsertim cum ipsemet Plato & f. Aristoteles fateantur, illud liquari calore, quod frigore esset concretum, & e contra. Quis iam est qui dubitaret pinguis ad ignem colliquari cum experientia id satis demonstrat; Sciendum tamen nos pinguedinis efficientem frigidum g quidem constituere, non tamen absolute & actu frigidum (siquidem hoc in viventibus non agnoscimus) sed minus calidum, quod  
Philo-